



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 95. Ardinghelli Cardinalis mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. XCV.

Ardinghelli Cardinalis mors.

Ciac. p. 704. *Ughell. in* *add. ad Ciac.* *Et Ital. sacr.* *Aubery l. c.* **T**ertius ex Cardinalibus, qui hoc anno decesserunt, erat Nicolaus Ardinghellus Petri filius ex nobilissimo Florentinorum genere Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo tertio natus. Hic generis sui nobilitatem rara pietate, ac singulari virtutum studio magis adhuc conspicuam reddebat, latina insuper, ac græca lingua apprime excultus juris utriusque peritia inclarescebat, unde Alexandro Farnesio in paucis carus ab eodem, cum vix Pontificatum sub nomine Pauli III. esset adeptus, mox ipsius Nepoti Cardinali a secretis adjungebatur, quo munere functus Florentiæ Canonicus, necnon Marchiæ Anconitanæ Vicarius, ac denique Fossempronienfis Episcopus fuit nominatus. Postea cum Farnesio Cardinale Legato Hispaniam, & Gallias peragravit, indeque Romam reversus in meriti, ac obsequii præmium Anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo quadragesimo quarto Cardinalis tit. S. Apollinaris creatus est, qua tamen dignitate nonnisi triennio potitus, in medio honorum cursu, feria tertia, die vigesima tertia Augusti, Anno

Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, atque ætatis suæ nonnisi quadragesimo quarto morte interceptus est. Corpus ejus sepultum quiescit in Ecclesia S. Mariæ supra Miner-
vam, ubi Alexander Ruspoli ejus Avun-
culus ex Bartholomæo Ruspoli, ac Ma-
ria Ardinghella natus monumentum e-
rigi, ac sepulcrale elogium Anno Chri-
sti millesimo quingentesimo primo in-
sculpi curavit. Scripsit Nicolaus quas-
dam epistolas Cardinalis Farnesii nomi-
ne, cui a secretis erat: insuper reliquit
librum *de negotiatione sua pro pace ineun-
da inter Franciscum I. & Carolum V.*

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

§. XCVI.

Badia Cardinalis fata.

Quartus erat Thomas Badia Mutinen-
sis, Ordinis FF. Prædicatorum, quos inter non minus eruditione, quam
vitæ sanctitate, animique candore in-
signis, cum ingenti nominis sui fama
Theologiam tradidit, progressu autem
temporis Magister sacri Palatii, ac supre-
mus Inquisitor renunciatus est; demum
vero a Paulo III. die ultima Maji anno mil-
lesimo quingentesimo quadragesimo se-
cundo in meriti sui præmium Cardina-
lis tit. S. Sylvestri in Campo Martio
nominatus fuit: cujus tamen dignita-
tis amplitudo nullatenus vitæ illius in-

*Ciac. p. 685.
Echard.
Script. Ord.
Præd. t. 2.
p. 132.*

F f 2

tegr-